HUGO DE SANCTO VICTORE
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 7v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



bilium significationem conformare. Et hic sensus est primi capituli.

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Auctoritate apostolica et diuine theologie. Primum probat omne bonum esse a summo bono deinde ex sua subiungit sententia. omne bonum esse respicere et refundi ad summum bonum quia sicut unum in multis participatione diuiditur ita multa in uno similitudine et imitatione uniuntur. Data optima dona nature sunt dona perfecta dona gratie pater luminum auctor et largitor donorum. Omne ergo datum optimum et d. perf. d. est. d. ap. l. quoniam omnia bona siue que natura primum bene condita accepit siue que postea per gratiam glorificata optime meruit ab uno auctore vel largitore gratie data sunt. Quibus quasi descendere fuit a fonte plenitudinis summe ad participationem inferiorum uenire. Omnis enim creatura excellentie creatoris inferior est et idcirco omne bonum quod dono creatoris creature infunditur merito quasi ad inferiora descendere prohibetur.

Descendit enim quia subdite nature et inferiori dignitate se infundit. Descendit etiam quia aperta et consummata plenitudine in eam que ex parte est participationem se diuidit ita tamen ut nec descendens seruiat nec diuisum decrescat sed manens in se quod est et in eo a quo uenit quantum est eis a quo uenit se prebet et hoc est quod esse accipiunt et quantum esse in eo quod meruerunt sunt. Ita ab uno bono omnia bona sunt et in uno bono omnia bona sunt et ipsum bonum a quo sunt omnia bona bonum est et lumen est et eorum que ab ipso sunt bonorum auctor et pater luminum et bona ipsa lumina sunt et illuminantia ea que lucere possunt et lumina fieri lucentia ex illuminante lumine. Hoc enim bonum nichil a se conditum alienum relinquit a se nec tamen illuminat nisi ea tantum que creauit ad se et formauit secundum se. Illa enim sola lumen capiunt que lucere possunt ex lumine que lumen ueniens